



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Rei Poenitentis Simplex Et Hvmilis Confessio**

**Coloniae Vbiorvm, 1645**

CAP. IX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10133**

## C A P . I X .

**P**er idem tempus, tu Domine Deus meus, misertus adolescentiæ meæ, periculoſo libidinum morbo affluantis, ſucepisti eam in lenitate curandam. Nam cum in Gymnasio Societatis Iesu Symphorofa tragœdia danda eſſet, tu perfecisti, me nihil ejusmodi cogitante, ut in eo primæ mihi partes demandarentur, Symphorofæ nimirum partes, easque agerem non ſine plauſu. quæ actio, non eſt credibile, quanta mihi pepererit bona. primum, Sanctorum tuorum exemplo oſtendit, te vita ipſa carorem eſſe habendum. deinde, tantum martyris tuæ clarissimæ, cuius antea ne nomen quidem audieram, amorem ſtudiumque ingenuit, ut, in omne posterum meæ vitæ tempus, eam mihi dominam ac patronam adoptaverim: neque ab eo tempore, uſque ad hoc tempus, illus ferre dies präteriuit, quo die, certis quibusdam precibus, ejus me tutelæ patrocinioque non commendarim, poſtremo meis partibus agendis eam vocis ſuavitatem, eam in ſententiis exprimendis vim, eum oculorum obtutum, eam vultus moderationem, eam in gestu venustatem, te tribuente, ſum viſus habere, ut his rebus commoti complures viri sanctiſimi, ad vitæ ſpiritualis viam strenue ineundam ſe mihi ultro duces ac magistros fore pollicerentur. Et ego, quod deferebant, lubens accepi, meque totum eisdem in disciplinam tradi.

A S C A P .